

loco pluraliter enuntiaretur hoc nomen, quod in latina lingua tantummodò singulariter dicitur: cur pietatis doctorem pigeat imperitis loquentem, ossum potius quam os dicere, ne ista syllaba non ab eo quod sunt ossa, sed ab eo quod sunt ora intelligatur, ubi Afræ aures de correptione vocalium vel productione non judicant? Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba quæ non docent; & si pro eis alia integra, quæ intelligantur, potest dicere, id magis eliget: si autem non potest, sive quia non sunt, sive quia in præsentia non occurrunt, utetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur atque discatur integrè.

25. Et hoc quidem non solum in colloctionibus, sivè fiant cum aliquo uno, sivè cum pluribus; verum etiam multò magis in populis quandò sermo promitur, ut intelligamur instandum est. Quia in colloctionibus est cuique interrogandi potestas: ubi autem omnes tacent ut audiatur unus, & in eum intenta ora convertunt, ibi ut requirat quisque quod non intellexerit, nec moris est, nec decoris: ac per hoc debet maximè tacenti subvenire cura dicentis. Solet autem motu suo significare utrum intellexerit cognoscendi avida multitudo: quod donec significet, versandum est quod agitur, multimoda varietate dicendi; quod in potestate non habent, qui præparata, & ad verbum memoriter retenta pronuntiant. Mox autem ut intellectum esse constiterit, aut sermo finiendus, aut

aut in alia transeundum est. Sicut enim gratus est, qui cognoscenda enubilat; sic onerosus est, qui cognita inculcat, eis dumtaxat quorum tota expectatio in dissolvenda eorum, quæ panduntur, difficultate pendebat. Nam delectandi gratia etiam nota dicuntur; ubi non ipsa, sed modus quo dicuntur attenditur. Quòd si & ipse jam notus est, atque auditoribus placet, penè nihil interest utrum is, qui dicit, dictor vel lector sit. Solent enim & ea quæ commodè scripta sunt, non solum ab iis quibus primitus innotescunt, jocundè legi, verum ab iis etiam, quibus jam nota sunt, neque adhuc illa de memoria delevit oblivio, non sine jocunditate relegi, vel ab utrisque libenter audiri. Quæ autem quisque jam oblitus est, cum commonetur, docetur. Sed de modo delectandi nunc non ago, de modo quo docendi sunt, qui discere desiderant, loquor. Is autem est optimus, quo fit ut qui audit, verum audiat, & quod audit intelligat. Ad quem finem cum ventum fuerit, nihil tunc amplius de ipsa re tanquam diutiùs docenda laborandum est, sed fortè de commendanda ut in corde figuratur: quod si faciendum videbitur, ita modestè faciendum est, ne perveniatur ad tædium.

26. PRORSUS hæc est in docendo eloquentia, qua fit dicendo, non ut libeat quod horrebat, aut ut fiat quod pigebat, sed ut appareat quod latebat. Quod tamen si fiat insuaviter, ad paucos quidem studiosissimos suus pervenit fructus, qui ea quæ discenda sunt, quamvis abjectè inculteque dicantur, scire desiderant. Quod cum adepti fuerint, ipsa delectabiliter veritate pascentur: bonorum

CAP. XI.
Quare con-
nanti doce-
re dicen-
dum per-
spicue, nec
tamen in-
suaviter.

rumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est. Sed quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa, sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt.

CAP. XII.

Oratoris est docere, delectare, flectere, ex Cicer. in Oratore. Quomodo hæc tria præstare debet.

27. DIXIT ergo quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Deinde addidit, docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. Horum trium quod primo loco positum est, hoc est, docendi necessitas, in rebus est constituta, quas dicimus; reliqua duo in modo, quo dicimus. Qui ergo dicit, cum docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse, quod vult ei, quem vult docere. Quia etsi dixit quod ipse intelligit, nondum illi dixisse putandus est, à quo intellectus non est: si verò intellectus est, quocumque modo dixerit, dixit. Quòd si etiam delectare vult eum, cui dicit, aut flectere, non quocumque modo dixerit faciet, sed interest quomodo dicat ut faciat. Sicut est autem, ut teneatur ad audiendum, delectandus auditor, ita flectendus, ut moveatur ad agendum. Et sicut delectatur si suaviter loquaris, ita flectitur si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas amplectatur, quod dolendum exaggeras doleat, cum quid lætandum prædicas gaudeat, misereatur eorum, quos miserandos ante oculos dicendo constituis, fugiat eos, quos cavendos terren-

do

do proponis, & quidquid aliud grandi eloquentia fieri potest ad commovendos animos auditorum, non quid agendum sit ut sciunt, sed ut agant quod agendum esse jam sciunt.

28. Si autem adhuc nesciunt, prius utique docendi sunt quàm movendi. Et fortassè rebus ipsis cognitis ita movebuntur, ut eos non opus sit majoribus eloquentiæ viribus jam moveri. Quod tamen cum opus est, faciendum est: tunc autem opus est, quando cum scierint quid agendum sit, non agunt. Ac per hoc docere necessitatis est. Possunt enim homines & agere, & non agere, quod sciunt. Quis autem dixerit eos agere debere, quod nesciunt? Et idè flectere necessitatis non est, quia non semper opus est, si tantum docenti vel etiam delectanti consentit auditor. Idè autem victoriæ est flectere, quia fieri potest ut doceatur & delectetur, & non assentiatur. Quid autem illa duo proderunt, si desit hoc tertium? Sed neque delectare necessitatis est, quandoquidem cum dicendo vera monstrantur, quod ad officium docendi pertinet, non eloquio agitur, neque hoc attenditur, ut vel ipsa vel ipsum delectet eloquium, sed per seipsa, quoniam vera sunt, manifestata delectant. Undè plerumque delectant etiam falsa patefacta atque convicta. Neque enim delectant, quia falsa sunt, sed quia falsa esse verum est, delectat & dictio, qua hoc verum esse monstratum est.

29. PROPTER eos autem, quibus fastidientibus non placet veritas, si alio quocumque modo nisi eo modo dicatur, ut placeat & sermo dicentis, datus est in eloquentia non parvus etiam delectationi locus. Quæ tamen addita non sufficit duris, quos nec intellexisse,

nec

CAP. XIII.
Dicendo demum flectendi animi.

nec docentis elocutione delectatos esse profuerit. Quid enim hæc duo conferunt homini, qui & confitetur verum, & collaudat eloquium, nec inclinat assensum, propter quem solum, cum aliquid suadetur, rebus quæ dicuntur, invigilat dicentis intentio? Si enim talia docentur, quæ credere vel nosse sufficiat, nihil est aliud eis consentire, nisi confiteri vera esse. Cum verò id docetur quod agendum est, & idè docetur ut agatur, frustra persuadetur verum esse quod dicitur, frustra placet modus ipse quo dicitur, si non ita discitur ut agatur. Oportet igitur eloquentem ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere ut instruat, & delectare ut teneat, verum etiam flectere ut vincat. Ipse quippè jam remanet ad consensionem flectendus eloquentiæ granditate, in quo id non egit usque ad ejus confessionem demonstrata veritas, adjuncta etiam suavitate dictionis.

CAP. XIV.
Dictionis
suavitas
pro ratione
argumenti
procuranda
est.

30. CUI suavitati tantum operæ impensum est ab hominibus, ut non solum non faciendâ, verum etiam fugiendâ ac detestandâ tot & tanta mala atque turpia, quæ malis & turpibus dissertissimè persuasa sunt, non ut eis consentiatur, sed sola delectationis gratia lectitentur. Avertat autem Deus ab Ecclesia sua quod de synagoga Judæorum Jeremias propheta commemorat dicens: *Pavor, & horrenda facta sunt super terram: Prophetæ prophetabant iniqua, & sacerdotes plausum dederunt manibus suis, & plebs mea dilexit sic. Et quid facietis in futurum?* O eloquentia tantò terribilior, quanto purior, & quanto solidior, tantò vehementior! O verè securis concidens petras! huic enim

Jer. 5. 30.

enim rei simile esse verbum suum, quod per sanctos prophetas fecit, per hunc ipsum prophetam Deus ipse dixit. Absit itaque, absit à nobis, ut sacerdotes plaudant iniqua dicentibus, & plebs Dei diligat sic. Absit à nobis, inquam, tanta dementia: nam quid faciemus in futurum? Et certè minùs intelligantur, minùs placeant, minùs moveant quæ dicuntur; verumtamen a dicantur & justa, non iniqua libenter audiantur: quod utique non feret, nisi suaviter dicerentur.

Jerem. 46.
22.

31. In populo autem gravi, de quo dictum est Deo: *In populo gravi laudabo te;* nec illa suavitas delectabilis est, qua non quidem iniqua dicuntur, sed exigua & fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna atque stabilia decenter & graviter ornarentur. Est tale aliquid in epistola beatisissimi Cypriani, quod idèd puto vel accidisse, vel consultò factum esse, ut sciretur à posteris, quam linguam doctrinæ christianæ sanitas ab ista redundantia revocaverit, & ad eloquentiam graviolem modestioremque restrinxerit; qualis in ejus consequentibus litteris securè amatur, religiosè appetitur, sed difficillimè impletur. Ait ergo quodam loco:

Ps. 34. 18.

“Petamus hanc sedem: dant secessum vicina
”secreta; ubi dum erratici palmitum lapsus
”pendulis nexibus per arundines bajulas re-
”punt, viteam porticum frondea tecta fece-
”runt.” Non dicuntur ista nisi mirabiliter affluenti-
tissima fecunditate facundiæ, sed profusione nimia gravitati displicent. Qui verò hæc amant, profectò eos qui non ita dicunt,
TOM. II. I sed

Epist. I. ad
Donatum.

a Sic MSS. melioris notæ. At Editi, vera tamen dicantur & justa.

sed castigatius eloquuntur, non posse ita eloqui existimant, non iudicio ista devitare. Quapropter iste vir sanctus & posse se ostendit sic dicere, quia dixit alicubi, & nolle, quoniam postmodum nusquam.

CAP. XV.
Orandus
Deus doctori
Ecclesiastico
ante concionem.

32. AGIT itaque noster iste eloquens, cum & justa & sancta & bona dicit, neque enim alia debet dicere; agit ergo quantum potest cum ista dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: & hæc se posse, si potuerit, & in quantum potuerit, pietate magis orationum quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se, ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator antequam dicator. Ipsa hora jam ut dicat accedens, priusquam exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. Cum enim de unaquaque re, quæ secundum fidem a dilectionemque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur ab eis, qui hæc sciunt; quis novit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit ut quod oportet, & quemadmodum oportet, dicatur à nobis, nisi in cuius manu sunt & nos & sermones nostri? Ac per hoc discat quidem omnia, quæ docenda sunt, qui & nosse vult, & docere, facultatemque dicendi, ut decet virum Ecclesiasticum, comparet; ad horam verò ipsius dictionis, illud potius bonæ menti cogitet convenire quod Dominus ait: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim*

Sap. 7. 16.

Matth. 10.
19.

a Editi, delectationemque. MSS. potiores, dilectionemque.

vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Si ergo loquitur in eis Spiritus Sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non & in eis, qui tradunt discentibus Christum?

33. QUISQUIS autem dicit, non esse hominibus præcipiendum quid vel quemadmodum doceant, si doctores Sanctus efficit Spiritus, potest dicere, nec orandum nobis esse, quia Dominus ait: *Scit Pater vester quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo*; aut Apostolum Paulum Timotheo & Tito non debuisse præcipere, quid vel quemadmodum præciperent aliis. Quas tres Apostolicas epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita. Nonne in prima ad Timotheum legitur: *Annuntia hæc, & doce? Quæ autem sunt, supra dictum est. Nonne ibi est: Seniore non increpaveris, sed obsecra ut patrem? Nonne in secunda ei dicitur: Formam verborum sanorum, quæ à me audisti? Nonne ibi ei dicitur: Satis age, teipsum probabilem operarium exhibens Deo non erubescentem, verbum veritatis rectè tractantem? Ibi est & illud: Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni longanimitate & doctrina. Itemque ad Titum, nonne dicit episcopum juxta doctrinam fidelis verbi perseverantem esse debere: *Ut potens sit in doctrina sana & contradicentes redarguere? Ibi etiam dicit: Tu verò loquere quæ decet sanam doctrinam, senes sobrios esse, & quæ sequuntur. Ibi & illud: Hæc loquere, & exhortare: & increpa cum omni imperio. Nemo te contemnat. Admone illos principibus & potestatibus subditos**

CAP. XVI.
Docendi
præcepta
non superfluo
dantur
ab homine,
tametsi doctores
efficiat Deus.
Matt. 7. 6.

1. Tim. 4.
11.
1. Tim. 5. 1.
2. Tim. 1.
13.
2. Tim. 2.
15.

2. Tim. 4. 2.

Tit. 1. 9.

Tit. 2. 1.

Tit. 2. 15.

Tit. 3. 1.

esse, &c. Quid ergo putamus? Numquid contra seipsum sentit Apostolus, qui cum dicat doctores operatione fieri Spiritus Sancti, ipse illis præcipit quid, & quemadmodum doceant? An intelligendum est, & hominum officia ipso Sancto Spiritu largiente, in docendis etiam ipsis doctoribus non debere cessare; & tamen neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed Deum qui incrementum dat? Unde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam sanctis angelis operantibus, NEMO RECTE DISCITO quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat à Deo docilis à Deo, cui dicitur in Psalmo: *Doce me facere voluntatem tuam, quoniam tu es Deus meus.* Unde & ipsi Timotheo item dicit Apostolus, loquens utique ad discipulum doctor: *Tu autem persevera in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.* Sicut enim corporis medicamenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, non nisi eis prosunt, quibus Deus operatur salutem, qui & sine illis mederi potest, cum sine ipso illa non possint, & tamen adhibentur; & si hoc officiosè fiat, inter opera misericordiæ vel beneficentiæ deputatur: ita & ADJUMENTA DOCTRINÆ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cum Deus operatur ut prosint, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus, neque per hominem.

CAPUT
XVII.
Ad docendum, delectandum, &

34. QUI ergo nititur dicendò persuadere quod bonum est, nihil horum trium spernens, ut scilicèt doceat, ut delectet, ut flectat, oret atque agat, ut quemadmodum supra diximus, in-

^a Hic vulgati omitt. Deo. quod MSS. habent, nec superfluo.

intelligenter, libenter, obedienterque audiat. Quod cum aptè & convenienter facit, non immeritò eloquens dici potest, etsi non eum sequatur auditoris assensus. Ad hæc enim tria, id est, ut doceat, ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse romani auctor eloquii, cum itidem dixit: *Is igitur erit eloquens, qui poterit parva submissè, modica temperatè, magna granditer dicere:* tamquam si adderet illa etiam tria, & sic explicaret unam eandemque sententiam dicens: *Is erit igitur eloquens, qui ut doceat, poterit parva submissè, ut delectet, modica temperatè, ut flectat, magna granditer dicere.*

flectendum
pertinet
triplex di-
cendi ge-
nus.

Cicero in
lib. de Ora-
tore.

35. HÆC autem tria ille, sicut ab eo dicta sunt, in caussis forensibus posset ostendere: non autem hic, hoc est, in ecclesiasticis quæstionibus, in quibus huiusmodi, quem volumus informare, sermo versatur. In illis enim ea parva dicuntur, ubi de rebus pecuniariis judicandum est; ea magna, ubi de salute ac de capite hominum; ea verò ubi nihil horum judicandum est, nihilque agitur, ut agat sive decernat, sed tantummodo ut delectetur auditor, inter utrumque quasi media, & ob hoc modica, hoc est, moderata dixerunt. Modicis enim modus nomen imposuit: nam modica pro parvis abusivè, non propriè dicimus. In istis autem nostris, quandoquidem omnia, maximè quæ de loco superiore populis dicimus, ad hominum salutem, nec temporariam, sed æternam referre debemus, ubi etiam cavendus est æternus interitus, omnia magna sunt quæ dicimus; usque adeò ut nec de ipsis pecuniariis rebus vel acquirendis vel amittendis parva videri debeant, quæ doctor

CAPUT
XVIII.
Ecclesiasticus orator
in materia
grandisem-
per versa-
tur.

Luc. 16. 10.

ecclesiasticus dicit, sive sit illa magna, sive parva pecunia. Neque enim parva est justitia, quam profecto & in parva pecunia custodire debemus, dicente Domino: *Qui in minimo fidelis est, & in magno fidelis est*, Quod ergo minimum est, minimum est: sed IN MINIMO fidelem esse, magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis, id est, ut à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem est in magno disco, quæ in nummulo exiguo: ita ubi parva justè geruntur, non minuitur justitiæ magnitudo.

36. De judiciis denique sæcularibus (quibus utique nisi pecuniariis?) eùm loqueretur I. Cor. 6. 1. Apostolus: *Audet quisquam vestrum, inquit, adversus alterum habens negotium, judicari ab iniquis, & non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundum judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quia angelos judicabimus, nedum sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, eos qui contemtibiles sunt in Ecclesia, hos^a constituite ad iudicandum. Ad reverentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum judicare? Sed frater cum fratre judicatur, & hoc apud infideles. Jam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum. Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis, & hoc^b fratres. An nescitis quia injusti regnum Dei non her-*

^a MSS. collocat; & prope omnes omittunt, ad iudicandum: quod etiam abest à græco textu Apostoli.

^b MSS. quinque, & hoc apud fratres. Alii tres, & hoc fratribus.

reditabunt? Quid est quod sic indignatur Apostolus, sic corripit, sic exprobrat, sic increpat, sic minatur? Quid est quod sui animi affectum tam crebra, & tam aspera vocis mutatione testatur? Quid est postremo quod de rebus minimis tam granditer dicit? Tantùmne de illo negotia sæcularia meruerunt? Absit. Sed hoc facit propter justitiam, caritatem, pietatem, quæ nulla sobria mente dubitante, etiam in rebus quàmlibet parvulis magna sunt.

37. Sanè si moneremus homines, quemadmodum ipsa negotia sæcularia vel pro se vel pro suis apud ecclesiasticos iudices agere deberent, rectè admoneremus, ut agerent tamquam parva submissè: eùm verò de illius viri disseramus eloquio, quem volumus earum rerum esse doctorem, quibus liberamur ab æternis malis, atque ad æterna pervenimus bona; ubicumque agantur hæc, sive ad populum sive privatim, sive ad unum sive ad plures, sive ad amicos sive ad inimicos, sive in perpetua dictione sive in colloctione, sive in tractatibus, sive in libris, sive in epistolis, vel longissimis vel brevissimis, magna sunt. Nisi forte quoniam calix aquæ frigidæ res minima atque vilissima est, ideò minimum aliquid atque vilissimum Dominus ait, quod eum qui dederit discipulo ejus, non perdet mercedem suam. Aut verò quandò iste doctor in Ecclesia facit indè sermonem, parvum aliquid debet existimare se dicere, & ideò non temperatè, non granditer, sed submissè sibi esse dicendum. Nonnè quandò accidit ut de hac re loqueremur ad populum, & Deus adfuit ut non incongruè diceremus, tamquam de illa aqua frigida quædam flamma surrexit, quæ etiam frigida hominum pectora, ad misericor-

Mat. 10. 42.

2. Mach. 1. 32.

diæ opera faciendâ, spe cælestis mercedis accenderet?

CAP. XIX.
Alias alio
utendum
dicendi ge-
nere.

38. ET tamen cum doctor iste debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere; sed submissè, cum aliquid docetur; temperatè, cum aliquid vituperatur sive laudatur; cum verò aliquid agendum est, & ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos congruenter. Et aliquandò de una eademque re magna, & submissè dicitur, si docetur, & temperatè, si prædicatur, & granditer, si aversus indè animus ut convertatur impellitur. Quid enim Deo ipso majus est? Numquid idè non ^a discitur? Aut qui docet unitatem Trinitatis, debet nisi submissa disputatione agere, ut res ad dignoscendum difficilis, quantum datur, possit intelligi? Numquid hic ornamenta, & non documenta quærentur? Numquid ut aliquid agat, est flectendus auditor, & non potius ut discat instruendus? Porrò cum laudatur Deus sive de seipso, sive de operibus suis, quanta facies pulchræ ac splendidæ dictionis oboritur ei, qui potest quantum potest laudare, QUEM NEMO convenienter laudat, nemo quomodocumque non laudat. At si non colatur, aut cum illo vel etiam præ illo colantur idola, sive dæmonia, sive quæcumque creatura, quantum hoc malum sit, atque ut ab hoc malo avertantur homines, debet utique granditer dici.

CAP. XX.
Exempla
ex sacris

39. SUBMISSÆ dictionis exemplum est apud Apostolum Paulum, ut planius aliquid commemorem, ubi ait: *Dicite mihi sub le-*

^a Editi, *dicitur*. Sed concinnius MSS. *discitur*.

ge volentes esse, legem non audistis? Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera: sed ille qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt in allegoria. Hæc enim sunt duo Testamenta; unum quidem à monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui ^a conjunctus est huic, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis. Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra, &c. Itemque ubi ratiocinatur, & dicit: Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, et seminibus, tamquam in multis, sed tamquam in uno, et semini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non infirmat ad evacuandas promissiones. Si enim ex lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. Et quia occurrere poterat audientis cogitationi: ut quid ergo lex data est, si ex illa non est hereditas? Ipse sibi hoc objecit, atque ait velut interrogans: Quid ergo lex? Deindè respondit: Transgressionis gratia proposita est, donec veniret semen cui promissum est, ^b disposita per angelos in manu Mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus

litteris, primum dictionis submissæ.

Gal. 4. 21.

Gal. 3. 15.

^a In MSS. ferè omnibus, *conjuncta est*.

^b In MSS. plerisque, *dispositum*.

Deus verò unus est. Et hic occurrebat, quod sibi ipse proposuit: *Lex ergo adversus promissa Dei?* Et respondit: *Absit*; reddiditque rationem, dicens: *Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus, &c.* vel si quid ejusmodi est. Pertinet ergo ad docendi curam non solum aperire clausa, & nodos solvere quæstionum, sed etiam dum hoc agitur, aliis quæstionibus, quæ fortassis inciderint, ne id quod dicimus improbetur per illas, aut refellatur, occurrere: si tamen & ipsa earum solutio pariter occurrerit, ne moveamus quod auferre non possumus. Fit autem ut cum incidentes quæstioni aliæ quæstiones, & aliæ rursus incidentibus incidentes pertractantur atque solvantur, in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, ut nisi memoria plurimum valeat atque vigeat, ad caput unde agebatur disputator redire non possit. Valdè autem bonum est, ut quidquid contradici potest, si occurrerit, refutetur; ne ibi occurrat, ubi non erit qui respondeat; aut præsentem quidem, sed tacenti occurrat, & minus sanatus abscedat.

Temperatæ dictionis exemplum.

I. Tim. 5.
II.
Rom. 12.
I.

40. In illis autem apostolicis verbis dicitio temperata est: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juniores ut fratres, animum ut matres, adolescentulas ut sorores.* Et in illis: *Obsecro autem vos, fratres, per miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* Et totus ferè ipsius exhortationis locus temperatum habet elocutionis genus: ubi illa pulchriora sunt, in quibus propria

pria propriis tamquam debita reddita decenter excurrunt, sicuti est: *Habentes dona diversa secundum gratiam, quæ data est nobis; sive prophetiam, secundum regulam fidei; sive ministerium, in ministrando; sive qui docet, in doctrina; sive qui exhortatur, in exhortatione; qui tribuit, in simplicitate; qui præest, in sollicitudine; qui misereatur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione; odio habentes malum, adherentes bono: caritate fraternitatis invicem diligentes, honore mutuo prævenientes, studio non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: id ipsum invicem sentientes.* Et quam pulchrè ista omnia sic effusa, bimembri circuitu terminantur: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes?* Et aliquantò post: *In hoc ipso, inquit, perseverantes, reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Quæ membratim fusa clauduntur etiam ipsa circuitu, quem duo membra contextunt: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Et post paululum: *Nox præcessit, inquit, dies autem appropinquabit. Abjiciamus itaque opera tenebrarum. & induamus arma lucis; sicut in die honestè ambulemus non in comensationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & æmulatione; sed induite Dominum Jesum Christum; & carnis providen-*

Ibid. 6.

Rom. 13. 7

dentiam ne feceritis in concupiscentiis. Quod si quisquam ita diceret: Et carnis providentiam ne in concupiscentiis feceritis, sine dubio aures clausula numerosiore mulceret; sed gravior interpretes etiam ordine maluit tenere verborum. Quomodo autem hoc in græco eloquio sonet, quo est locutus Apostolus, viderint ejus eloquii usque ad ista doctiores: mihi tamen quod nobis eodem verborum ordine interpretatum est, nec ibi videtur currere numerosè.

41. Sanè hunc elocutionis ornatum, qui numerosis fit clausulis, deesse fatendum est auctoribus nostris. Quod utrùm per interpretes factum sit, an (quod magis arbitror) consultò illi hæc plausibilia devitaverint, affirmare non audeo, quoniam me fateor ignorare. Illud tamen scio, quod si quisquam hujus numerositatis peritus, illorum clausulæ eorundem numerorum lege componat, quod facillimè fit mutatis quibusdam verbis, quæ tantundem significatione valent, vel mutato eorum quæ invenerit ordine; nihil illorum, quæ velut magna in scholis grammaticorum aut rhetorum didicit, illis divinis viris defuisse cognoscet. Et multa reperiet locutionis genera tanti decoris, quæ quidem & in nostra, sed maximè in sua lingua decora sunt, quorum nullum in eis, quibus isti inflantur, litteris invenitur. Sed cavendum est ne divinis gravibusque sententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur. Nam illa musica disciplina, ubi numerus iste plenissimè discitur, usque ad eò non defuit Prophetis nostris, ut vir doctissimus Hieronymus quorundam etiam metra commemoret, in hebræa dumtaxat lingua: cujus ut veritatem serva-

In prologo
super Job.

ret

ret in verbis, hæc inde non transtulit. Ego autem ut de sensu meo loquar, qui mihi quàm aliis, & quàm aliorum est utique notior, sicut in meo eloquio, quantum modestè fieri arbitror, non prætermitto istos numeros clausularum; ita in auctoribus nostris hoc mihi plus placet, quod ibi eos rarissimè invenio.

42. Grande autem dicendi genus hoc maximè distat ab isto genere temperato, quod non tam verborum ornatibus comtum est, quàm violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta penè omnia: sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur quippè impetu suo, & elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris assumit. Satis enim est ei propter quod agitur, ut verba congruentia, non oris elegantur industria, sed pectoris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentissimus pugnæ, agit quidem illis armis quod agit, non quia pretiosa, sed quia arma sunt: idem ipse est tamen, & valet plurimùm, etiam cum rimanti telum ira facit. Agit Apostolus, ut pro evangelico ministerio patienter mala hujus temporis, cum solatio donorum Dei, omnia tolerentur. Magna res est, & granditer agitur, nec desunt ornamenta dicendi: *Ecce, inquit, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nullam in quoquam dantes*

Grande dicendi genus quo differat à temperato.

Grandis dictionis exemplum. 2. Cor. 6. 2.

of-

a Lov. rimanti telo mira facti. Sed verius aliæ editiones & MSS. rimanti telum ira facit: quod usurpatum est ex Virgilio Æneid. 7.

Hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit.

offensionem, ut non reprehendatur ministerium nostrum: sed in omnibus commendantes nosmetipsos ut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma justitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: ut seductores, & veraces; ut qui ignoramur, & cognoscimur; quasi morientes, & ecce vivimus; ut coerciti, & non mortificati; ut tristes, semper autem gaudentes; sicut egeni, multos autem ditantes; tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. Vide adhuc ardentem: Os nostrum patet ad vos, d Corinthii: cor nostrum dilatatum est, & cetera, quæ persequi longum est.

43. Itemque ad Romanos agit, ut persecutiones hujus mundi caritate vincantur, specerta in adjutorio Dei. Agit autem & granditer, & ornatè. Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt. ^b Quoniam quos ante præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit; & quos vocavit, ipsos & justificavit, quos

^a MSS. aliquot optimæ notæ, arma justitiæ dextra & sinistra.

^b Editi: vocati sunt sancti: & paulò post, conformes fieri. At MSS. earent vocibus sancti, & fieri: quæ præmitti solent ab Augustino, & à græco textu absunt.

quos autem justificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo nobis omnia donavit? Quis accusavit adversus electos Dei? Deus qui justificat? Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis? Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ^{Ps. 43. 22.} ut oves occisionis. Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

44. Ad Galatas autem quamvis tota ipsa epistola submisso dicendi genere scripta sit, nisi in extremis partibus ubi est eloquium temperatum, tamen interponit quemdam locum eo motu animi, ut sine ullis quidem talibus ornamentis, qualia sunt in iis quæ modò posuimus, non posset tamen nisi granditer dici. Dies, inquit, observatis & menses, & annos, & tempora. Timeo vos, ne fortè sine causa laboraverim in ^a vos. Estote sicut ^a & ego, quoniam & ego sicut vos: fratres, ^{pre-}

^a Editi, in vobis. At MS. in vos: juxta græcum, εἰς ὑμᾶς.

precor vos, nihil me lasistis. Scitis quia per infirmitatem carnis jam pridem evangelizavi vobis, & a tentationes vestras in carne mea non sprevisistis, neque respuestis, sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Quæ ergo fuit beatitudo vestra? Testimonium vobis perhibeo, quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus factus sum vobis verum prædicans? Æmulantur vos non bene; sed excludere vos volunt, ut eos æmulemini. Bonum est autem in bono æmulari semper, & non solum cum præsens sum apud vos. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Vellem autem nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam, quia confundor in vobis. Numquid hinc aut contraria contrariis verba sunt reddita, aut aliqua gradatione sibi subnexa sunt, aut cæsa, & membra, circuitusve sonuerunt? Et tamen non ideo tepuit grandis affectus, quo eloquium fervere sentimus.

CAPUT
XXI.
Exempla
ex doctoribus
ecclesiasticis.

Submissæ
dictionis
exemplum

45. SED Apostolica ista sic clara sunt, ut & profunda sint; atque ita conscripta memoriamque mandata, ut non solum lectore vel auditore, verum etiam expositore opus habeant, si quis in eis non superficie contentus altitudinem quærat. Quapropter videamus ista genera dicendi in eis, qui istorum lectione ad rerum divinarum atque salubrium scientiam profecerunt, eamque Ecclesiæ ministrarunt. Beatus Cyprianus submisso dicendi genere utitur in eo libro, ubi de Sacramento calicis disputat. Solvitur quippe ibi quæ-

a MSS. plerique, *tentationem vestram.*

tio, in qua quæritur, utrum calix Dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere. Sed exempli gratia aliquid ponendum est. Post principium ergo epistolæ, jam solvere incipiens propositam quæstionem. * "Admonitos autem nos scias, inquit, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemorationem ejus offertur, vino mixtus offeratur. Nam cum dicat Christus: *Ego sum vitis vera*, sanguis Christi, non aqua est utique, sed vinum; nec potest videri sanguis ejus, quod redempti & vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicatur. Invenimus enim in Genesi circa sacramentum Noe hoc idem præcucurrisse, & figuram Dominicæ passionis illic exstitisse, quod vinum bibit, quod inebriatus est, quod in domo sua nudatus est, quod fuit recubans nudis & patentibus femoribus, quod nuditas illa patris à medio filio denotata est, à majore verò & minore contacta, & cetera quæ necesse non est exsequi, cum satis sit hoc solum complecti, quod Noe typum futuræ veritatis ostendens, non aquam sed vinum biberit; & sic imaginem Dominicæ passionis expresserit. Item in sacerdote Melchisedec a Dominicum sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura

TOM. II. M di-

a Sic in MSS. At in prius editis, *Dominici sacramenti præfiguratum videmus mysterium.* Apud Cyprianum verò, *sacrificii Dominici sacramentum.*

* Ex Cypriano in epist. 63. ad Cæciliam de Sacramento calicis.

Joan. 15. 5.

Gen. 9. 21.